

R E C T O R
V N I V E R S I T A T I S L I P S I E N S I S

A D

SACRA PENTECOSTALIA

A. DOM. MDCCCXXIX.

P I E C E L E B R A N D A I N V I T A T

I N T E R P R E T E

I V L I O F R I D E R I C O W I N Z E R

ORD. THEOL. H. T. DECANO.

Berlin Collection

~~Handwritten text~~

Commentationis in locum Paulli ad Romanos epistolae

Cap. III, 21—28.

particula altera.

BS 3669

.9

.W 22

Nuperrime quem tractare exorsi sumus Paulli ad Romanos epistolae locum, qui tertio capite exstat, in eo Apostolum versibus 21—24. haec edifferentem cognouimus: Nostri demum temporibus, quibus promulgatum est euangelium, per id ipsum innouit probitas (immunitas a peccatorum poenis cum felicitatis sensu et spe salutis futurae coniuncta), quae Deum habet auctorem, cuique nihil cum lege intercedit necessitudinis, tamen si testimonium ei exhibetur a lege et vatibus (sive adnuntiata est ea per Mosem et vates); probitas, inquam, a Deo proficiscens, quae per fidem obtinetur Jesu Christo habitam, quaeque omnibus, qui hunc fide amplectuntur, siue Iudaei fuerint siue gentiles, decreta est ac tribuenda; neque enim hic populorum discrimen vllum seruatur; nam omnes perperam egerunt; ideoque et gratuitam, pro mera Dei beneuolentia, delictorum veniam et felicitatem consequuntur, per praestitam ipsis a Christo Jesu redemptionem.

Iam vero, qua ratione factum hoc fuerit, vt *δια της ἀπολυτρωσεως της εν Χριστω Ιησου* tale ac tantum Dei beneficium, sub fidei Jesu Christo habendae conditione, obtingat hominibus, quonam porro ductus consilio ita rem instituerit Deus, denique ex re proposita quid sequatur et tamquam consequens disci intelligique debeat, in eodem illo epistolae laudatae loco declarat Paullus versibus 25 et 26, de quibus iamiam videamus.

Ὁν προσθετο ὁ θεος ἱλαστηριον δια της πιστεως ἐν τῷ αὐτου ἁματι, εἰς ἐνδειξιν της δικαιοσυνης αὐτου, δια την παρεσιν των προγεγονοτων ἁμαρτηματων ἐν τη ἀνοχη του θεου, προς ἐνδειξιν της δικαιοσυνης αὐτου ἐν τῷ νυν καιρω, εἰς το εἶναι αὐτον δικαιον και δικαιουντα τον ἐκ πιστεως Ἰησου.

Sunt vero, quae tradita hic leguntur, sic comparata, vt singulae propemodum voces largam disputandi materiem praebeant. Quare in eis enucleandis verfabimur ita, vt tum quae interpretes et antiquioris et recentioris memoriae censuerunt, tum quae ex nostro ipsorum iudicio qualicunque videntur esse statuenda, in medium proferamus.

Et primo quidem vniuersum huius vtriusque commatis argumentum ad *την ἀπολυτρωσιν την ἐν Χριστῷ Ἰησου*, v. 24. commemoratam ab Apostolo, spectare, Flatius et Tholuckius in Commentar. ad h. l. bene monuerunt. Iusto tamen angustioribus id circumscripserunt quasi terminis, eo quod *illustrandae atque explicandae τη ἀπολυτρωσει τη ἐν Χριστῷ Ἰησου* totum illud inferuire dicerent. Plura enim duobus illis contineri versibus, ea nimirum, quae per partes antea indicauimus, ipsius Apostoli verba recte intellecta tam perspicue docent, vt nulla possit esse dubitatio. — Ad ea vero quod adinet, quae in principio horum versuum enuntiantur verbis: *ὄν προσθετο ὁ θεος ἱλαστηριον δια της πιστεως ἐν τῷ αὐτου ἁματι*, Seb. Schmidtus in Praelect. Acad. in hanc epist. p. 281. non plane sibi constitit, primo dicens, exponi his verbis, *quo modo redemptio*, per Christum Jesum facta, *adplicetur*, ac paullo post subiiciens, his verbis *ipsum actum et*

formam iustificationis describi. Nam modus, quo applicatur redemptio, differt ab actu et forma iustificationis. Eadem Apostoli verba Boehmius in Commentar. ad h. l. p. 46. iudicavit *nil nisi exornare verum illud, in Jesu Messia, nece adfecto, auctoritatem esse vere diuinam*. Sed haud dubie non exornandi tantum, verum etiam illustrandi et confirmandi vim habent; neque ad solam Jesu Christi necati auctoritatem diuinam explicandam et firmandam faciunt, sed simul atque imprimis demonstrant rationem, quâ potuerit fieri factumque sit hoc, *vt δια της ἀπολυτρωσεως της ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ* tribuatur hominibus ἡ δικαιοσυνη θεου.

De singulis si sermo instituitur, quaerendum est ante omnia de nomine *ἱλαστηριον*, in cuius naturâ et notione definiendâ in diuersas sententias abierunt interpretes. Fuerunt, qui pro substantiuo masculini generis hic haberent, ex quibus Erasmus, Vatablum, Wahlium (Clav. N. T. philol. sub h. v.) nominasse sufficiat; quamquam Erasmus, qui *reconciliatoris* vocabulum in translatione latinâ vsurpauerat, in adnotationibus ei subiectis, *ἱλαστηριον* esse *propitiationem, seu magis propitiatorium*, declarauit. At vereor, vt recte vox illa dicatur substantiuum masculini generis. Locus certe, quo tuearis hunc verbi vsum, ex scriptorum veterum monumentis non adfertur. Immo non negandum, *ἱλαστηριον* esse adiectiuum, et notare vel *eum, qui*, vel *id, quod expiandi vim habeat*. Nam ita e. c. *ἱλαστηριον μνημα, monumentum, quod exstruitur placandi numinis caussa*, Iosephus commemorat Antt. XVI, 7, 1. Atque apud eundem Iosephum in Libro de Maccab. 9. 17. diuina prouidentia dicitur Israëlitas antea adflictos seruasse Maccabaeorum piorum sanguine et *morte expiatoriâ, δια του ἱλαστηριου θανατου ἄντων* (si nempe spurium

est του, quod ante θανάτου vulgo exhibetur). Quare hic etiam *ελαστήριον* pro adiectiuo, eoque neutrius generis, accipiunt longe plerique, ita vt substantiuum aliquod, quamquam non unum omnes idemque, suppleant. Prima nimirum est eorum ratio, qui *ἐπιθεμα* adicientes cogitando, et *propitiatorium* reddentes, *operculum arcae foederis expiatorium* intelligi volunt, quod quippe typus fuerit Christi, per quem nos placati et reconciliati Deo simus. Sic qui statuunt, tum ad loquendi consuetudinem τῶν LXX. prouocant, qui hebr. בַּפֶּתַח, quo illud ipsum operculum (ab Iosepho Antt. III, 6, 5. *ἐπιθεμα* dictum) notatur, per *ελαστήριον* (ex signif. verbi בִּפֶּר, *expiavit*), vocabulo *ἐπιθεμα* mox adiecto (Exod. XXV, 17.), mox omisso (Exod. XXV, 18 — 22. Leuit. XVI, 2. 13. 14. 15.), constanter reddiderunt, tum Philone teste vtuntur, qui Lib. III. vit. Mosis, p. 668. E. habet: *ἐπιθεμα το προσαγορευομενον ελαστήριον*, tum denique locum epistolae ad Hebraeos proferunt, cap. IX, 5, qui praeter hunc nostrum vnus est locus in Noui quidem Testamenti libris, in quo *ελαστήριον* occurrit et de operculo isto vsurpatur. Constatit vere illud laminâ aureâ, quae arcam in eaque repositas legis tabulas tegebat, super quâ duo Cherubini aurei, alis eam obumbrantes, eminebant, quae diuinae maiestatis sedes, vnde oracula ederet Deus et significaret, se populo propitium esse, habebatur, quamque adire in anniuersario et solemni expiationis festo debebat pontifex maximus, vt victimarum pro suis ipsius et totius populi peccatis immolarum sanguinem ad illam versus spargeret. Hoc igitur operculum arcae in tabernaculo et templo Paullum hic ante oculos habuisse, cum eoque Christum, per quem obtingat expiatio, comparasse arbitrantur, qui *ἐπιθεμα* (siue, quod idem

est, πωμά) ad vocab. *ἱλαστήριον* supplēt. Et sic quidem Origine prædeunte Theodoretus, qui in interpretatione huius loci (Opp. ed. Hal. Tom. III. P. I. p. 43 sq.) haec scripsit: *Τὸ ἱλαστήριον πεταλὸν ἦν χρύσου· ἐπέκειτο δὲ τῆ κιβωτῶ· ἑκατέρωθεν δὲ εἶχε τὰ πῶν χερουβιμ ἐκτυπώματα. ἐκεῖθεν τῶ ἀρχιερεὶ λειτούργουντι ἐγίνετο δηλῆ τοῦ θεοῦ ἡ ἔμμενεια. διδάσκει τοίνυν ὁ θεὸς ἀποστόλος, ὡς τὸ ἀληθινὸν ἱλαστήριον ὁ δεσποτὴς ἐστὶ χριστός. ἐκεῖνο γὰρ τὸ παλαιὸν τοῦτου τοῦ τυποῦ ἐπλήρου. ἀρροττεῖ δὲ ἄνω ὡς ἀνθρώπῳ τὸ ὄνομα, ὄυχ ὡς θεῷ. ὡς γὰρ θεός, ἄντος δια τοῦ ἱλαστηρίου χρηματίζει· ὡς δὲ ἀνθρώπος, καὶ ταυτην δεχεται τὴν προσηγοριαν, καθάπερ καὶ τὰς ἄλλας, ὅιον προβατὸν, καὶ ἄμνος, καὶ ἁμαρτία, καὶ καταρα, καὶ ὅσα τοιαυτά. καὶ τὸ μὲν παλαιὸν ἱλαστήριον καὶ ἀναιμὸν ἦν, ἐπειπερ καὶ ἀψυχόν· τοῦ δὲ πῶν ἱερῶν αἵματος τὰς ῥανιδὰς ἐδέχετο. ὁ δὲ δεσποτὴς χριστός, καὶ θεός ἐστὶ, καὶ ἱλαστήριον, καὶ ἀρχιερεὺς, καὶ ἄμνος, καὶ ἐν τῶ ὀκειῶ αἵματι τὴν ἡμετέραν ἐπραγματεύσατο σωτηριαν. Similiter Oecumenius in Commentar. ad h. l. (ed. Paris. 1636.) p. 243. de voc. *ἱλαστηρίου* haec monet: *Ἰλαστήριον δὲ παλαιὸν ἐλεγετο τὸ πῶμα τῆς κιβωτοῦ· οὕτως καὶ ἡ τοῦ κυρίου σαρκῆ, ἡ περικαλυπτοῦσα τὴν ἑαυτοῦ θεοτητα, ἱλαστήριον γέγονε τῶν ἡμετέρων ἀνομιῶν. Pariterque Theophylactus ad h. l. (ed. Londin. 1636.) p. 38: Ἰλαστήριον ἐκαλεῖτο τὸ πῶμα τῆς κιβωτοῦ, ὃ ἐξ ἑκατέρων τῶν μερῶν τὰ χερουβιμ περιεῖχον· ἐδηλοῦ δὲ παντὸς τὴν ἀνθρώπινην φύσιν, ἥτις πῶμα ἦν τῆς θεοτητας, ἐπικαλυπτοῦσα ταυτην. Quorum sententiae subscripserunt Erasmus, Lutherus (qui conuertit *Gnadenstuhl*, ἱλαστήριον fortasse existimans non esse diversum a τῶ θρονῶ τῆς χάριτος, Hebr. IV, 16.); Grotius, Hammondus, Campeg. Vitringa, Wetstenius aliique multi, ex quibus inprimis**

videndi sunt Deylingius in Observat. sacris, Part. II. N. XLI. p. 482 sqq. ed. tert. Seb. Schmidius in Praelect. p. 282 sq. Wolfius in Cur. philoll. T. III. p. 64 sq. Christ. Fr. Schmidius in Adnot. ad h. l. p. 53 sq. et Boehmius in Commentar. p. 47. Momenta vero comparationis, quae inter operculum arcae et Christum instituat, quemadmodum alii alia commemorarunt, ita Io. Goutl. Carpzovius in Appar. hist. crit. antiqu. s. cod. p. 268 plenissime exposuit haecce: „Christi servatoris symbolum praebuisse propitiatorium, ex Rom. III, 25. liquido constat; nam Christus 1) ratione *officii* tegit et expiat peccata nostra, Psalm. XXXII, 1. Dan. IX, 24. 1 Io. II, 2. 2) ratione *inhabitationis divinae*, totam in se habet Deitatis plenitudinem, Coloss. II, 9. 3) ratione *coronae*, regia splendet maiestate, Apoc. IV, 10 sq. 4) ratione *ritus*, adspersione sanguinis hilastici peccata populi delet ac tollit, Levit. XVI, 14. Col. I, 14. 5) ratione *tutelae* suos obumbrat, ut sub alis eius habitent ac delitescant pii, Psalm. XXXVI, 8 sqq. Mal. IV, 2.“ Eadem de re Deylingius l. l. p. 488 sq. sic differuit: „Quemadmodum *ελασθηριον* arcae *επιθεμα* tabulas legis, minas item et maledictiones, violatoribus eius intentatas, ita tegebat, ne in ullius unquam venirent conspectum: ita Christus merito suo maledictionem, quam tabulae legis arcae inclusae minitabantur, ita textit ac sustulit, factus pro nobis *επικαταροις καταρα*. (Gal. III, 15), ut Deus ea resipiscentibus ac credentibus in Christum imputare, et in futuro iudicio in conspectum producere nolit (Io. V, 24. Mich. VII, 19).“ Adde, quae leguntur p. 491. Verum enimvero, si vel Iudaei ipsi operculum arcae foederis pro typo Messiae habuerint, quod Buxtorfius in Historia arcae foederis cap. XIV. evincere studuit, animam

tamen inducere non possum, ut hic intelligendum illud esse credam. Haud improbabile quidem dixerim cum Kypkiō et Koppio, Apostolum in epistola ad Christianos Iudaeis et gentibus mixtos scriptā ad partem antiquitatis iudaicae maxime reconditam adlusisse. Tanti enim *λαοσηγιον* illud in re Iudaeorum sacra erat momenti, ut etiam ad Christianos ex gentibus pertinere cognitio eius videri posset, quippe qui V. T. libros diligenter legērent, quorumque multi, prius quam facti essent Christiani, a gentium religione ad iudaica sacra fuissent adducti. Neque alibi commemorare Paullus omisit talia, quae scire, posito argumento illo, Christianorum ex gentibus parum interesset. Cf. Rom. IX, 9 sqq. 1. Cor. X, 1 sqq. Quod Tholuckius recte monuit utrumque. At permira profecto, ne dicam inepta, ex interpretatione illā oritur sententia. Nam si arcae operculo, cui victimarum sanguis adspergebatur, similis factus esse Christus perhibetur sanguine suo profundendo: consequens est, ut sanguis Christi dicatur ipsi Christo adsperfus fuisse, quasi operculo arcae. Vid. Morus et Rosenmüllerus ad h. l. Qualem siue imaginum siue notionum perturbationem ac confusionem Apostolo ne tribuas. Neque vllum eius in epistolā ad Hebraeos vestigium deprehendes, in quā Christi cum sacerdote et victimā comparatio duplex alius est generis et nihil habet offensionis; neque in illo, quem supra adtigimus, eiusdem epistolae loco, vbi de operculo, non item de Christo, *λαοσηγιον*, intellecto voc. *θρυα* vel *ιεγειον*, de sacrificio *piaculari* explicare malunt, velut Chrysoſtomus et Origenes; ex recentioribus Clericus, Lamb. Bosius, Elsnerus, Kypkius, Storrius (Opusc. acad. Vol. I. p. 190. not. 11.), Flattius aliique, a quorum sententiā Koppius et Tholuckius non sunt alieni. Fatetur quidem

Clericus, eam vocem sibi legenti sensu *victimae* non occurriffe, nisi in Vetere Onomastico, ubi fit *ιλαστηριον*, *propitiabile*, quae vox actiue intelligenda fit de eo, quod possit propitiare numen. Atque Io. Aug. Ernesti in prolusione, cui inscribitur: Pro grammaticâ interpretatione librârum imprimis sacrârum, haec monet: „Christum esse victimam pro peccatis nostris, verissimum est; sed non propterea in isto Paulli, *ὃν προεδετο ιλαστηριον*, *victima* Christus dicitur. Nisi rationibus grammaticis id vincas, hoc est, nisi doceas, non modo *ιλαστηριον* consuetudinem loquendi, non quamcunque, sed hebraizantium, de victimâ expiatoriâ dixisse, sed etiam verbum *προτιθεσθαι* dici de victimis, nihil illud, quamuis verum, effecerit.“ Quibus praemissis hoc vtrumque vilo modo demonstrari posse, diserte negat. Vid. Ernesti Opusc. philol. (edit. 2. Lugd. Bat. 1776.) p. 224. Ad has vero dubitationes atque obiectiones quae responderi probabiliter possint, non desunt omnino. Vt enim nihil dicam de Hesychii glossâ, quâ *ιλαστηριον* per *καδαρσιον* explicatur: de *dono*, quod *propitandi vim habeat*, *ιλαστηριον* vsurpat Dio Chrysostomus Orat. XI. p. 184. (edit. Reisk. quae secunda prodiit. Lips. 1798. Vol. I. p. 355.). Et Symmachus, quem ex hebraizantium numero non plane exemeris, in interpretatione loci Genes. VI, 14, pro eo, quod in hebraeicis est, *bitumine obducito nauem*, habet: *ιλασεις ιλαστηριω*, quae, licet falsissime dicta, sic tamen sunt comparata, vt, nisi de *victimâ*, quâ *offerendâ* nauis quasi expietur, intelligi vix queant. Similiter vocabulum *εξιλαστηρια* de *piaculis* apud Schol. Apollon. Rhod. II, p. 487. legitur. Verbum *προτιθεσθαι* vero de *victimis* exhibitis dici, patet ex Eurip. Iphig. in Aul. v. 1592. Hoc tamen est largiendum, LXX. interpretes

voce *ἱλαστήριον* nunquam vfos esse pro victima piaculari. — Alii denique omiffum existimant *μνημα*, ita vt *monumentum placandi vim habens* cogitetur, propterea quod Iosephus Antt. XVI, 7, 1. *ἱλαστήριον μνημα* plene dixit. Cf. Io. Conr. Schwarzii commentat. de solocifm. N. T. cap. 23. g. 1. p. 124. — Equidem simpliciffimam cenfeo praefendam esse rationem, qua nullam ellipfi admiffam, *ἱλαστήριον* intelligitur *de eo, qui expiandi vim habeat*, ita vt adiectiuum ponatur pro participio *ἱλασκομενος*, quo eodem sensu substantiuum *ἱλασμός* (cuius notionem Vulgatus hic reddidit *propitiationis* vocabulo) legitur 1 Io. II, 2. IV, 10. Cf. Morus, Rosenmüllerus, Koppius et Tholuckius ad h. l. Adde Car. Chr. Tittmanni Opusc. theol. p. 554.

Quod voci *ἱλαστήριον* praemiffum est verbum, *προεδετο*, de eo pariter non vna omnium est sententia. Conuertunt quidem plerique: *proposuit, publice spectandum exhibuit* (ita vt medium pro actiuo positum dicant). Quae significatio certiffima est ex Graecorum more loquendi, apud quos *προτιθεσθαι* notat: *proponere rem publice*, vt vel spectetur, vel adeatur, vel expetatur, vel fugiatur. Vid. Ernesti in Proluf. laud. p. 224. et Krebsius in Observ. Flav. p. 276. Quum vero medium *προτιθεσθαι* apud exterios praeter alia significet: *proponere sibi, apud animum constituere*, hanc notionem priori illi praefert Ellnerus, suffragantibus Heumanno, Doederleinio (Bibl. Theol. Tom. III. p. 35.), Koppio et Boehmio ad h. l. Quorum fauet sententiae, quod Paullus alibi semper ita vsurpauit hoc verbum. Vid. Rom. I, 13. Ephes. I, 9, collatis locis Rom. VIII, 28. Ephes. I, 11. 2 Tim. II, 9. Malim tamen in priori adquiescere, non tam, quia omitti non potuerit *εἶναι* vel *εἶσεσθαι*, quam quia agitur de re, quam

non voluit solum fieri, sed vere praestitit Deus. *Proposuit* igitur Christum *ἱλαστηριον*, i. e. fecit, vt quem ipse constituisset *ἱλαστηριον*, eum cognoscere talem homines possent. Cuius rei cognoscendae facultas Deo volente ac moderante data eis est partim eo, quod in crucem sublatus Christus mortem appetit spectantibus hominibus, partim eo, quod per euangelium ipsi edocentur, mortem eius vim habere salutarem. Tertia restat Kypkii sententia, quam suam fecit Storrius l. l. p. 190, et secundum quam *προτιθεναί* statuitur hic positum esse pro *ἀντιδιδοναί*, ita vt Deus *hominum loco dedisse*, siue *in reorum locum substituisse*, Christum dicatur. Id vero quamquam Apostoli doctrinae satis conuenit: ipsi tamen verbo *προτιθεναί* non subest notio *substituendi*, neque ea ex Euripidis loco (Iphig. in Aul. v. 1592.), ad quem prouocauit Kypkius, potest demonstrari.

Subiiciuntur verba *δια τῆς πίστεως*, quae, a codice Alexandrino et Chrysofomo omissa, ideoque pro spuris habita a Millio in Prolegomenis et Lockio in Commentar. ad h. l., caeteroquin grauissimis firmata testibus, non ad remotius participium *δικαιούμενοι* (v. 24.), sed ad proxime praecedens vocabulum *ἱλαστηριον* referenda sunt hoc sensu: *eum, cuius beneficio hominibus expiatio contingeret per fidem*, i. e. si fidem ipsi haberent. Et tamen vel sic declaratur his verbis, quid in hominibus adesse debeat, vt ipsi participes fiant veniae peccatorum, siue, in scholis quod dicunt, causa notatur adprehendens (*ληπτική*, organica, instrumentalis) *του δικαιουοθαι*. Cf. Gal. II, 16. Obiectum vero fidei illius indicatur verbis *ἐν τοῦ αὐτοῦ αἵματι*. Haec enim, a nonnullis ad *προέθετο*, ab aliis (e. c. Deylingio, l. l. p. 485.) ad *ἱλαστηριον* relata, necessario coniungi debent cum *τῇ πίστει*, quon-

iam v. 22., qui latius hic explicatur, est πιστις Ἰησοῦ Χριστοῦ, ubi iste genitivus pariter designat hoc, quod debeamus fide amplecti. Accedit, quod in N. T. scriptis, præcipue in epistolis, per fidem in mortem Christi constanter dicimus illud peccatorum remissionis beneficium, quod morte sua nobis paravit, obtinere. Idcirco tamen non statuendum est cum Seb. Schmidio, Heumanio, Koppio, Flattio, Tholækio, ἐν τῷ αἰματι dictum esse pro εἰς τὸ αἷμα. Immo cogitanda est fides in morte Christi peculiariter posita, siue fiducia, quæ nititur morte Christi, ab eaque delictorum veniam et salutem repetit atque expectat. Cf. Tittmannus et Storrius II. II. Sic πιστις cum ἐν construitur Gal. III, 26. Ephes. 1, 15. Col. 1, 4. 1. Tim. III, 15.

Iam vero causa finalis, siue consilium, quod hac omni in re instituenda sequutus sit Deus, exprimitur verbis: εἰς ἐνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ, δια τὴν παρθεῖν τῶν προγεγονότων ἁμαρτιῶν ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ Θεοῦ, πρὸς ἐνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ ἐν τῶν νῦν καιρῶ. Mibi priora quidem illa εἰς ἐνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ reddenda sunt: vt demonstraret probitatem suam, i. e. probitatem; quam ipse tribuit hominibus. Quem verborum sensum Lutherus, Melanchthon multique alii bene perspexerunt; quamquam non defuerunt, qui δικαιοσύνην Θεοῦ de aliquo ipsius Dei adtributo, vel iustitia, vel benignitate, vel constantia et veritate, interpretarentur. Sed eandem hic intelligendam esse δικαιοσύνην Θεοῦ, quæ v. 21. dicta est περὶ ἀνερωσθαί. (et de quâ in priore huius commentat. particula disputauimus p. VI. sqq.); ex eo adparét, quod eandem hic sententiam repetit scriptor. Quam in rem conferas, quæ Langius in commentat. ad glossar. N. T. Tellerianum, Vol. II. p. 178. sqq. monuit. Subsequentia verba δια

την παροσιν αὐτῶν προγεγονοται ἁμαρτημάτων multi reddiderunt;
per praetermissionem peccatorum antea commissorum, quasi
 praetermittendis, i. e. tolerandis; superioris aetatis peccatis de-
 monstraverit Deus suam δικαιοσύνην. At primo non intelligitur,
 cur a proprio usu praepositionis δια, quo, si ad accusatio iungitur,
 causam, ob quam aliquid fiat factumve cogitetur, denotat, quem-
 que alibi tenuit Paullus, hic eum recessisse putemus. Deinde πα-
 ροσις antiquioribus quidem Graecis est *praetermissio*, *transmis-*
sio, ideoque Jo. Cocceius, Hammondus, Bengelius, Chr. Frid.
 Schmidius, Storrius, Boehmius, Bretschneiderus (in Lex. sub
 h. v.)² Tholuckius in eo hic esse volunt *την παροσιν*, quod Deus
 summo iure non egerit cum peccatoribus, sed patienter eos tolera-
 verit. Iuniores vero scriptores graeci et grammatici *παριεναι* et
ἀφιεναι miscent. Hesychius interpretatur *παριημι* non tantum *ἔω*,
καταλιμπανῶ, verum etiam *ἀνχωρῶ*, *ἀφιημι*. Idem *παροσιν* red-
 dit *ἀφροσιν*, *συγχωροσιν*. Et Dionysius Halicarnassensis Antiquit-
 rom. Lib. VII, p. 446, ed. Sylb. *την παροσιν* opponit non remis-
 sioni, sed dilationi. Cf. quae post Clericum atque Elfnerum ob-
 servarunt Jo. Aug. Ernesti in Bibl. theol. recentiss. Tom. I. Part. 2,
 p. 155 sqq. et Jo. Christ. Gottl. Ernesti in Glossis sacris Hesychii
 a se editis, p. 225. Potest igitur *παροσις* eadem esse, quae *ἀφροσις*.
 Debet vero etiam h. l. eadem intelligi, quoniam alias non differret
 a *τη ἀνοχη*, cuius paullo post fit mentio. Sed *τα προγεγονοτα*
ἁμαρτηματα dicuntur *peccata olim* ab Judaeis et gentilibus ante
 Christi aduentum *patrata*, quae Hebr. IX, 15. *παραβασεις ἐπι*
τη πρωτη διαθηκη adpellantur. Ad haec autem, non item ad
 Christianorum peccata, hic et in ep. ad Hebr. I. I. refertur ἡ πα-
 ροσις, non quasi ad ea non pariter spectet, sed quia Christianorum

haec debet esse vitae ratio, ut non opus habeant amplius peccatorum remissione. Cf. Rom. VI, 2. 11. Ephes. II, 5. — Adduntur verba *ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ Θεοῦ*, pro *ἐν τῇ ἀνοχῇ αὐτοῦ*, quae, cum praecedentibus *τῶν προγεγονοτῶν ἁμαρτημάτων* arctissime nexa, distinctione facta perquam incommode ab eis sunt diuulsa; id quod post Lutherum et Bezae recte monuit Jo. Bened. Carpouzianus in *Strictur. theol. et crit.* ad h. l. p. 70. Nam describitur modus, quo patrata olim fuerint peccata, nempe ita, ut Deus ea toleraret, nec statim puniret. Quam explicationem suadent, quae cap. II, 4. leguntur; quemadmodum, quae hic enuntiantur vocabulo *ἀνοχῆς*, Act. XVII, 30. exprimuntur verbo *ὑπεριδεῖν*. Itaque totum hoc: *δια τὴν παρεσιν τῶν προγεγονοτῶν ἁμαρτημάτων ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ Θεοῦ, propter remissionem peccatorum antea tolerante Deo commissorum*, explanandum erit. h. r.: quia de peccatorum, ipso indulgente olim patratum, veniam certiores facere homines decreverat. Cf. Wahlii *Clav.* Vol. I, p. 277. ed. 2. — Quam vero expresserat Apostolus sententiam, eam, ut altius infigat lectorum animis, per *ἐπανάληψιν* repetit his verbis: *πρὸς ἐνδειξιν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ ἐν τῷ νῦν καιρῷ, ut probitatem, quam ipse tribuit hominibus, demonstraret hoc tempore*, quo sc. manifestatur ea per Christi legatos. In usu praepositionum *πρὸς* et *εἰς* nihil discriminis esse quaerendum, in confesso est.

Tandem locus omnis finitur verbis: *εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν δικαίον καὶ δικαιούντα τὸν ἐκ πίστεως Ἰησοῦν*. In quibus *εἰς* de effectu adhibetur, velut cap. V, 16. Cf. Matthiae *Ausführl. Gramm.* p. 1145. ed. 2. Inest enim his verbis confectarium ex superiori disputatione ductum. Proinde reddenda sunt hoc modo: *ut adeo ipse sit probus et tamquam probum tractet eum, qui fidem*

000000

Quod fere in principio epistolae ad Romanos datae (cap. I, 16.) Paulus Apostolus enuntiat, se non pudere doctrinae euangelicae (immo laetitiae et honori sibi ducere munus illam tradendi): eius professionis hanc statim causam subiicit, quod euangelium a Deo insitam habeat vim efficacissimam ad salutem parandam omnibus, qui piâ mente id susceperint, et Iudaeis, et caeterarum gentium hominibus. Quam quidem vim saluberrimam euangelio cur tribuendam ipse censeat, proximo versu 17. docet his verbis: *δικαιοσυνη γαρ θεου εν αυτω αποκαλυπτεται εκ πιστεως εις πιστιν*, idque ipsum, quod ex fide oriatur illa *δικαιοσυνη θεου*, loco aliquo veteris Testamenti (Habac. II, 4.) confirmat.

Hanc autem grauiissimi ponderis sententiam, per fidem solam obtineri *την δικαιοσυνην θεου*, priusquam vberius exponit Apostolus, de prauitate omnium, non gentilium modo, verum etiam Iudaeorum, sermonem instituit hoc consilio, vt planissime demonstraret, neminem omnino esse, qui *δικαιοσυνη* illâ non indigeat. Itaque primo gentiles, naturâ duce, Dei virtutes legesque potuisse cognoscere et cognitâs habuisse, sed, neglectâ hac cognitione, peruersis cupiditatibus magis, quam rationi obsequutos,

errorum et flagitiorum plurimorum turpitudini se dedisse, inde ab versu 18. vsque ad finem capitis primi ostendit. — Pergit deinde ad Iudaeos, qui, quod satis inter omnes constat, praecipuum quemdam Dei fauorem iactitantes, ad se solos pertinere Messiae beneficia opinabantur, de lege Mosaicâ, vtpote ipsis, non gentilibus datâ, ambitiose gloriabantur, diligentem rituum sacrorum obseruationem (quam ad mores probos referebant), et maiorum merita, certissima impetrandae a Deo veniae peccatorum et felicitatis praesidia esse existimabant, et gentiles, lege litteris configuratâ destitutos, neque ab Abrahamo genus ducentes, nec sacris Iudaeorum ritibus initiatos, spernendos iudicabant ac detestandos, nisi et ipsi disciplinam Mosaicam admitterent. Quorum peruersa sentiendi ratio vt funditus euertatur: secundo capite demonstrat Paullus, Iudaeos aequè, ac gentiles, peccare Deoque displicere, immo grauius, quam illos, delinquere, quod pleniore voluntatis diuinae notitiâ sint imbuti; Deum vero, iudicem iustissimum, rationem non personarum habere, sed factorum, et pro factis rependere vnicuique, sine discrimine gentis atque ornamentorum externorum; itaque Iudaeos, renitentes Deo, atque impietati potius, quam virtuti deditos, non habere, quod de lege sibi datâ et circumcissione gloriantur. — Ex his autem Apostoli dictis ne quis temere colligat, eum omnem Iudaismi et circumcissionis vsum negare: ipse tertio capite sic porro disserit, vt Iudaeos multum quidem praecipui habere prae gentilibus largiatur (in primis hoc, quod effata diuina ipsis concredita fuerint, euentu nequiquam caritura, si vel maxime indignos hoc beneficio sese praestiterint Iudaei), eosdem tamen illos pariter, ac gentiles,

peccando culpam contraxisse iterum declaret, idque librorum veteris Testamenti auctoritate confirmet, versf. 1—19. Tum ex totâ oratione praecedente hanc conficit versu 20. conclusionem, per obedientiam, quam quis legi diuinae, siue naturali, vt gentilis, siue scriptaë, vt Iudaeus, praestare conetur, aut praestitisse sibi videatur, neminem mortalium Deo probatum, siue infontem et probum Deo indice declaratum atque vt talem ab eodem tractatum iri (*ἐξ ἑργῶν νόμου οὐ δικαιωθήσεται πᾶσα σὰρξ ἐνώπιον αὐτοῦ*), quum potius per legem vnusquisque, se peccatorem esse, ideoque poenâ dignum, perspiciat. Quorum verborum et simplicissima et verissima haec in promptu est ratio, quod hominum actiones sic comparatae sunt quouis tempore, vt, ad diuinae legis normam exactae, huic nunquam omni ex parte respondeant.

Iam, praemissâ hac disputatione, primariam illam, quam cap. I, 17. proposuerat, sententiam ita repetit Apostolus, vt apertius eam declarando atque vberius explicando doceat in subsequentibus, vnâ et verâ, quâ quis Deo probari, adeoque peccatis absolui et beari possit, rationem monstrari nunc omnibus, Iudaeis ac gentilibus, per euangelium, quamuis haec ratio non sit noua, sed iam in veteri Testamento praedicta. Ea verò describitur cap. III, 21 — 28. Qui locus, diuersis interpretum doctissimorum studiis agitatus, quum disquirendi materiam etiamnum praebeat: de singulis eius partibus quid nobis videatur, planum facere studeamus.

Ἐὰρ. III, 21.

Ἦνυι δε χωρις νομου δικαιοσυνη θεου πεφανερωται, μαρτυρου-
μενη ὑπο του νομου και των προφητων.

Ἦνυι non debebat *argumentandi* particula hic dici; nulla enim neque adsumtio hic locum habet nec conclusio; sed tempus notatur, quo πεφανερωται δικαιοσυνη θεου, ita ut νυι pleniori respondeat formulae vers. 26. ἐν τω νυι καιρω, hoc promulgati euangelii tempore. Δικαιοσυνη θεου vero quorsum spectet, qualisque sit cogitanda, non aequè manifestum est. Ac nos quidem varias et saepenumero contrarias virorum eruditorum sententias non copiosius nunc retractaturi, ad rem quae facere visa fuerint, breuiter commemorabimus. Quod dum facturi sumus, ne incerti vagemur, ante omnia hoc obseruandum esse ducimus firmiterque tenendum, eam, de qua hic agitur, δικαιοσυνην θεου fidei hominum adnecti ab Apostolo, ita ut ex ea oriri et pendere statuatur. Nam vers. 22. diferte dicitur δικαιοσυνη θεου δια πιστεως, quemadmodum in loco parallelo cap. I, 17. δικαιοσυνη θεου ἐκ πιστεως. Ex quo efficitur, neque *iustitiam Dei*, nec *benignitatem*, nec *sanctitatem eius* posse cogitari, quoniam nulla unquam Dei virtus, tamquam talis, ex hominum fide suspensa est, nec potest esse suspensa. Alii plerique *virtutem Deo probatam*, siue *pietatem omnibus numeris absolutam et fauore beneficiisque diuinis dignam* intelligunt. Non male quidem, si verba simpliciter spectantur. Nam δικαιοσυνην de *virtute* siue *probitate* latissimo sensu passim adhiberi, in confesso est; pariter-

que hoc largiendum, Θεου ex vsu linguae esse posse genitium obiecti, ita vt δικαιοσυνη Θεου designet *virtutem, quae Deo iudice talis fit, quae probetur Deo*; quemadmodum Joann. VI, 28. τα έργα του Θεου sunt *opera, quae Deo placent*, atque Ephes. IV, 18. η ζωη του Θεου est *vita, qualem Deus postulat*. Verumtamen quaeritur hoc loco, cuiusnam illa fit virtus, quae Deo probetur. Quodsi, antiquioris aevi theologos sequutus, *Jesu Christi* virtutem, quam Deus imputet hominibus, dixeris: suae quidem illi doctrinae conuenienter sic statuunt; at librorum noui Foederis scriptores *Jesu Christi* virtutem, siue obedientiam erga praecepta moralia, talem, quae imputetur hominibus, ignorant. Sin ipsorum *hominum* virtutem, quae probetur Deo, quamque illi suis sibi viribus parent, suis acquirant studiis, suis operibus praesent, cogitareris: ab Apostoli mente aberraueris quam certissime ac longissime. Is enim την του Θεου δικαιοσυνην capite X. huius epistolae, versu 5, non modo distinguit a τη ιδεα δικαιοσυνη, sed etiam hanc manifesto illi opponit; idem, aliis locis innumeris, την του Θεου δικαιοσυνην seruandam lege diuinam obtineri posse negat, et ex sola Dei gratia per fidem contingere adfirmat, virtutis vero et sanctitatis studium a spiritus diuini, in animis hominum operantis, efficacitate ducit. Aut igitur *virtutis*, quae ipsis hominibus insit, eiusque perfectae, notio ex formula δικαιοσυνη Θεου excludenda, aut, si teneri tamen illa debuerit, *virtus erit cogitanda, quae a Deo proficiscitur, cuius auctor est Deus*. Et hic quidem vsus genitiui Θεου, qualemcunque demum intellexeris δικαιοσυνην, necessario statuendus, quia homines versu 24. dicuntur δικαιοουμενοι τη του Θεου χαριτι,

et Deus versu 26. vocatur *δικαίων*. Cf. etiam cap. IV, 5. VIII, 33. et Philipp. III, 9., quo loco postremo ἡ ἐκ Θεοῦ δικαιοσύνη disertè adpellatur. Sed illa *virtutis* notio, magnopere dubitamus, quin recte censeatur hic esse admittenda. Etenim illi ipsi, qui *δικαιούνται* versu 23. dicuntur ob peccata sua ὑστερισθαι τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ. Sunt igitur fontes, sunt peccatorum culpaè poenisque obnoxii (*ὑποδομοὶ πρὸς Θεῷ*, versu 19, ἀσεβεῖς, cap. IV, 5.), sed infantes ac probi declarantur atque vt tales tractantur a Deo, *δικαιούνται*, i. e. absoluntur, liberantur a peccatorum poenis, et felicitatis participes redduntur. Ergo *δικαιοσύνη Θεοῦ*, quae ad eos pertinet, nequiquam potest esse vera et perfecta *virtus*, quippe quae tantum abest, vt cadat in eos, vt eà prorsus destituantur, sed referri debet ad *immunitatem a poenis peccatorum*, quae adiunctum sibi habet felicitatis sensum et spem salutis futurae. Idem intelligitur ex versibus 25 et 26, vbi, concedendâ delictorum veniâ, hoc demonstrasse Deus traditur, semet ipsum esse probum, et tamquam probum tractare (*δικαίουν*, absoluerè et beare) vnumquemque, qui fidem Jesu habeat; pariterque ex loco supra laudato cap. I, 17. 18, vbi *δικαιοσύνη Θεοῦ* et ὄργη Θεοῦ sibi opponuntur, sic quidem, vt, quum haec *poenas* denotet *seueras*, a Deo propter peccata infligendas, illa *remissionem peccatorum*, a Deo concedendam, necessario designet. Quae tamen nolim ita accipi, quasi *δικαιοσύνη Θεοῦ* dicatur actus Dei, veniam peccatorum et felicitatem hominibus tribuentis, qui quidem actus *δικαιώσεως* vocabulo potius notatur (capp. IV, 25. et V, 18.), sed beneficium illud ipsum, quod in homines confertur, quodque latine dicere possis *probitatem, quam tribuit*

Deus, dummodo virtutem ne cogites, quam in animo habere Apostolus non potuit, sed immunitatem a poenis peccatorum et salutem.

Dicitur vero *δικαιοσύνη χωρίς νομου* (haec enim videntur esse coniungenda), i. e. *δικαιοσύνη*, cui nulla cum lege intercedit ratio, quae non existit ex seruata lege, non obtinetur eo, quod quis legi paruerit. Sic nempe Paullus ipse versu 28. explicuit verbis: *χωρίς έργων νομου*. Sed, *lex* quaenam in his sit intelligenda, si quaeritur: primo non adsentimus iis, qui *legem* continent *caerimonialem*, a lege morum seiunctam, significari. Nam quae antecedunt hunc locum, nihil ea continent, quod tale discrimen facere aut permittat aut iubeat. Nec poterat Paullus usurpare legis ritualis et moralis distinctionem, quippe quae neque vsu recepta nec valitura erat apud Iudaeos, qui vtriusque legis, vt latorem eundem esse putabant, ita eandem perpetuo auctoritatem fore opinabantur. Quid ergo? Num *totam legem Mosai- cam et disciplinam Iudaicam* cogitabimus? Ita profecto; verumtamen hanc quoque non solam, sed *quamcunque legem diuinam*. Et sic quidem censemus propter vniuersam, quâ Noster vsus est, argumentandi rationem. Quemadmodum enim capitibus primo et secundo euicit, vtrosque, et Iudaeos et caeteros populos, quamquam legem diuinam vtrique cognouerint, pari tamen omnes peccatorum culpâ teneri, idque ipsum cap. III, 9—19. denuo docuit ex huiusmodi veteris Testamenti locis, quae de violatione legis, non caerimonialis, sed moralis, exponunt, ab eoque ad omnium omnino, non Iudaeorum tantum, prauitatem sunt relata, tandemque dictorum summam versu 20. sic complexus

est, vt planissime negaret, hominẽm vllum propter obedientiam, quam legi (siue Mosaicae siue naturali) praestiterit, a Deo tractatum iri tamquam insõntem ac probum: ita et in reliquis huius epistolae partibus hanc proposuit atque illustrauit sententiam, neminem ex eo, quod vlli legi diuinæ obtemperasse sibi videatur, siue eam litteris consignatam acceperit, siue naturâ duce cognouerit, impunitatem et salutem adipisci; non quasi obseruare leges diuinas non necesse sit, sed quia nemo iis ita satisfaciãt et possit satisfacere, vt ipse innocens praemiisque dignus Deo sistatur.

Iam vero ea, quae absque lege obtineatur, *δικαιοσυνη θεου* dicitur *esse manifestata* (*πεφανερωται*), i. e. hominibus innotuisse; quod nititur verbis: *δικαιοσυνη θεου αποκαλυπτεται εν τω ευαγγελιω του χριστου*, quibus in loco aliquoties laudato cap. I, 16. 17. vsus est Apostolus. Nec tamen olim prorsus ignota fuit. Ideo dicitur *μαρτυρουμενη υπο του νομου και των προφητων*, talis, cui *testimonium exhibetur a lege et vaticibus*, i. e. quae iam adnuntiata est in codice veteris Testamenti per Mosẽm et vates. Nempe vocabulo *νομου* h. l. libri Mosaici siue Pentateuchus *κατ' εξοχην* notantur, quum iungantur ei *οι προφηται*, quo nomine caeteri, praeter Pentateuchum, veteris Testamenti libri significantur, ita vt hac formulã, *ο νομος και οι προφηται*, constans exhibeatur vniuersi codicis veteris Testamenti descriptio. Et Mosẽm quidem exposuisse de istã *δικαιοσυνη θεου*, quarto capite Paulus docet Abrahami exemplo. Vates vero eamdem praedixisse, iam supra (cap. I, 17.) loco quodam Habacuci ostendit, idemque a Petro affirmatur Actor. X, 43.

Verf. 22.

Δικαιοσύνη δε θεου δια πιστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ,
εἰς παντας και ἐπι παντας τοὺς πιστευοντας.
Οὐ γαρ ἐστι διαστολή.

Hoc versu, quem explicationis gratiâ addidit auctor, et modus impetrandae illius δικαιοσύνης declaratur, et, quibus ea parata sit, ostenditur. In verbis δικαιοσύνη δε θεου particula δε nou aduersandi, sed illustrandi vim habet: nempe. — Δια πιστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ, pro pleniere ἢ δια πιστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ, quae obtinetur per fidem Iesu Christo habitam. Nam πιστις Ἰησοῦ Χριστοῦ est eadem, quae πιστις εἰς Ἰησοῦν Χριστόν, vt Galat. III, 22. Similiter alibi commemorantur πιστις του ὀνοματος Ἰησοῦ (Actor. III, 16.), et πιστις του υἱου του θεου (Galat. II, 20.), eodem sensu, quo πιστις εἰς το ὄνομα Ἰησοῦ, εἰς τον υἱον του θεου. Cogitanda vero est, secundum perpetuam Paulli doctrinam, fiducia eorum, qui certo credunt, sibi propter Iesum Christum, in primisque propter mortem eius cruentam (πιστις ἐν τῷ αὐτου αἵματι, vers. 25.), a Deo condonari peccata et salutem exhiberi. — Εἰς παντας και ἐπι παντας τοὺς πιστευοντας. Locum hic habet aliqua lectionis diuersitas. Nimirum verba και ἐπι παντας desunt in aliquot melioris notae codicibus (inter quos Alexandrinus), itemque in nonnullis versionibus antiquis et patrum nonnullorum scriptis. Quorum tamen testium, si comparentur cum iis, qui haec verba exhibent, tanta non videtur auctoritas esse, vt propter eorum testimonium haec verba sint delenda. Quod si genuina sunt, duplici modo statui de formulâ illâ duplici

potest. Aut enim, quod plerique monent, nihil plane discriminis est inter *εις παντας* et *επι παντας*, quemadmodum versu 30. *ει πιστεως* et *δια πιστεως* promiscue usurpantur; aut sic differunt, ut *εις παντας τους πιστευοντας* indicet, *δικαιοσυνην ad omnes fidem habentes spectare*, omnibus esse destinatum, *επι παντας τους πιστευοντας* vero, eam *in omnes fidem habentes conferrī*, omnibus quasi imponi. Et hanc alteram quidem interpretandi rationem potiore ducimus, quia nihil suppetit causae, cur neglecta potestate vocabulorum propria tautologiam in iis inesse censeamus. Quidam, Theodoretum atque Oecumenium sequuti, *εις παντας* ad Iudaeos, *επι παντας* ad gentiles referunt, ex arbitrio et errore. Non enim dubitandum, quin utroque in membro *παντες* iidem sint, fidem scilicet habentes, ut statim subiicitur, siue Iudaei fuerint, siue gentiles. Repetitio tamen vocabuli *παντες* hoc docere videtur, cum aliqua vi exprimere Apostolum voluisse hanc sententiam, *uniuersalem esse δικαιοσυνην θεου*, non, quod Iudaei opinabantur, particularem. Idque ipsum confirmant verba subsequentia: *ου γαρ εστι διαστολη, nullum enim est discrimen*, sc. populorum, i. e. siue Iudaeus aliquis fuerit, siue gentilis, id hac in re, nimirum in beneficio *δικαιοσυνης* destinando et largiendo, nihil valet, dummodo veram ille Iesu Christo fidem habeat. Cf. vers. 29. 30. X, 12. Huius autem enuntiationis ratio versu sequente haec redditur, quod omnes indigeant illo beneficio, quum omnes peccauerint.

Verf. 23.

Παντες γαρ ἡμαρτον, και ὑστερουνται της δοξης του Θεου.

Vocabula ὑστερουνται της δοξης του Θεου vertenda sunt hoc modo: *desituuntur gloriá coram Deo*, i. e. non habent, quo glorientur apud Deum. Etenim ἡ δοξα του Θεου est eadem, quae ἡ δοξα ἐνώπιον του Θεου sine παρα τω Θεω. De quo genitivi vsu cf. Matthiae Ausführl. Gr. Grammat. p. 681. ed. 2. et Wineri Grammat. p. 76 sq. ed. 2. Hanc vero explicationem non tantum suadent ea, quae leguntur versu 27: *που οὐν ἡ καυχσις*, et cap. IV, 2: *ἔχει καυχημα, ἀλλ' οὐ προς τον Θεον*, sed postulat etiam huius ipsius loci contextus, quandoquidem agitur de hominibus, qui peccarunt, ideoque coram Deo gloriandi materiem non habent. Quare prorsus reiicienda est antiquorum, qui post emendationis sacrorum tempora vixerunt, theologorum sententia, secundum quam de *imagine* hominum *diuiná*, post lapsum amissá, hic sermo instituitur. Namque tali in loco, qualis hic noster est, in quo agitur de peccatis actualibus, ab hominibus commissis (*παντες ἡμαρτον*), plane non potest de imagine illá diuiná cogitari. — Iam vero, si peccarunt omnes, neque habent, quo glorientur coram Deo, et tamen vt probi a Deo tractantur: consequens est, vt gratuita benignitate diuiná id fiat. Quae res versu sequente (antecedenti proxime adiungendo) exponitur.

Δικαιούμενοι δωρεάν, τη αὐτοῦ χάριτι, δια τῆς ἀπολυτρώσεως
τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.

Participium *δικαιούμενοι* in hac orationis serie haud dubie accipiendum est pro: ὥστε δικαιουσθαι, ita ut tamquam probi tractentur, immunitatem a poenis et salutem consequantur, δωρεάν, gratis, nullo suo merito (οὐ κατὰ τὸ ὀφείλημα, cf. cap. IV, 4.), sed τη αὐτοῦ χάριτι, ipsius (Dei) favore, δια τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, per redemptionem a Christo Iesu factam, quippe qui morte suâ omnibus, Iudaeis ac gentilibus, peccatorum veniam et salutem acquisiuit. His igitur verbis causa, quam in scholis dicunt, meritoria τῆς τοῦ θεοῦ δικαιώσεως exprimitur. Vocabulum ἀπολυτρώσεως ex vsu linguae primum redemptionem denotat, i. e. liberationem talem, quae fit soluendo pretio, quod soluebatur e. gr. ab iis, qui seruos in libertatem vindicabant: Tum de liberatione quâlibet adhibetur. In noui autem Testamenti libris vbiunque de ἀπολυτρώσει aliqua, per Iesum Christum facta, sermo instituitur, ibi semper intelligenda est liberatio a peccatorum poenis, per Christum parata, qui, vitam deponendò, λύτρον quasi persoluit pro hominibus. Cf. Matth. XX, 28. Ephes. I, 7. Coloss. I, 14. 1 Timoth. II, 6. 1 Petr. I, 18. 19. Hebr. IX, 15. Eadem vero et hic debere cogitari, sponte profecto intelligitur, quum sermo nunc sit de peccatoribus, iisque talibus, qui a delictorum poenis absoluantur et salute potiantur.

Sed hic iam subsistimus, Vobisque, CIVES CARISSIMI, proxime instantes dies laetissimos, memoriae Iesu Christi post mortem cruentam in vitam restituti dicatos, nuntiamus. Per quos dies festos vt sacris publicis frequenter adfitis, animosque spe salutis aeternae nutriatis, eâ, quâ par est, obseruantia Vos-rogamus, monemus, hortamur.

P. P. Palmarum, a. Dom. MDCCCXXIX.

TBS
3669

9
Wiz

Winger
... Sacra Pente-
costa ...

379019

TBS

379019

3669

Winger

↑

... Sacca Pente-

Wiz

costa...

--	--	--